

nemo resistit. Plus verò aliquid locus Augustini de correptione, & gratia cap. 14. ubi non solum asserti videtur voluntas Dei semper obtinens effectum, sed etiam tolli rebus omnibus inferioribus potestas quidpiam à Deo volutum impediendi. Sic enim ibi Sanctus Doctor: *Cum autem homines per correptionem in viam iustitiæ, seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi illo qui, quolibet plantante, atque rigante, & quolibet in agris, atque arbusculis operante, dat incrementum Deus: cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium? Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. . . . Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo, & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult.*

3 Hæc contra communem Ecclesiæ doctrinam de voluntate Dei salvandi omnes homines pridem congestere Calviniani, quos secutus est Jansenius, & Jansenianus, ac Bajanus de gratia Catechismus Gallicus, quem anno 1650. Sedes Apostolica condemnavit: *Quia in eo continentur quamplures sententiæ aliæ per felicis recordationis Pium V. Gregorium XIII. & Urbanum VIII. damnatæ.* In censura non fit mentio quinque Propositionum Jansenii, quia hæc non nisi triennio post ab Innocentio X. proscriptæ sunt. Catechismus ille interrogat quæst. 66. *Vultne Deus solos electos salvos fieri?* Respondet: *Ita. Eos tantum salvare vult, quos prædestinavit: at solos electos prædestinavit. Si vellet omnes, ac singulos homines salvare, omnes reipsa salvarentur: quia omnia quæcunque vult in cælo, & in terrâ, facit; nec est, qui possit ejus resistere voluntati.* Propter quam & similes assertiones, aliasque non saniores, adeò Catechismus ille placuit Calvinianis, ut Samuel Marelius notis illustratum, & ornatum encomiis eum novis typis donarit, in usum, ut ajebat, *Ecclesiæ Reformatae.* Hieronymus Zanchius Calvinista de prædest. cap. 6. *Cum, inquit, Dei voluntas nulla ratione impediri possit, & sit omnipotentissima, idcirco nullo modo dici potest, Deum simpliciter, & propriè velle omnes in universum homines salvari.* Ibidem: *Cum voluntas Dei sit omnipotentissima, profecto si simpliciter vellet omnes salvos fieri, omnes salvi fèrent. . . . ideo Psalmi 113. dicitur: Quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terrâ.* Andreas Willetus, vulgò dictus Calvinii abbreviator in Synop. Papismi lib. de reparat. generis humani pag. 145. *Si Deus omnes homines*

*salvos fieri vellet, cur non omnes salvarentur? Nam ejus voluntati quis obstitit? Neque hic vetustiorum Pelagianorum valet effugium, Dei voluntatem non impleri, scilicet quia homo adversatur; ita enim Deo homines potentiores constituerentur.*

4 His inter suos celebrior Theodorus Beza in Apologia colloqui Mompelgartensis: *Si verè, & simpliciter Deus vellet omnes salvos fieri, omnes necessariò ad salutem perducerentur, quia voluntas ejus est omnipotentissima.* Sed nunc adversario directiùs respondeamus. In textu Augustini callidè omittitur, quod est de peccatoribus contra Dei voluntatem facientibus; *de his enim, inquit Sanctus, qui faciunt, quæ non vult, facit ipse, quæ vult, eos puniendo.* Atque hac ratione facile explicari potest quorundam sententiæ asserentium, omnem Dei voluntatem efficacem esse, dum eam, quæ antedecens dicitur, statuunt conditionatam, ac disjunctivam. E. G. *Volo, ut Judas non prodat Christum, sed perseveret in iustitia, ad quod ei sufficientissima subministrabo auxilia, atque adeò volo, ut salvetur, si modo & ipse velit, auxiliis utendo oblati, ut potest; vel si nolit, gravissimis in inferno torqueatur suppliciis.*

5 Quæ Dei voluntas, si Judas gratis à Deo oblati usus fuerit, consequitur effectum, sed & si gratias respuendo traditor esse voluerit, nec respicere, non ideo voluntatem Dei profus eluserit, sed hæc, proditorum puniendo, manebit invicta. Quemadmodum scilicet in actibus intellectus enuntiatio disjunctiva vera est, si vel una ex centum disjunctivis partibus veritati consonet, ita & in actibus voluntatis tota disjunctiva volitio censetur efficax, si vel una ex partibus sub disjunctiōne volitis, vel imperatis fortiatur effectum. Hoc sensu cum voluntate Dei semper invicta consistunt gratiæ sufficientes, quarum effectus non retardantur solummodo, sed penitus impediuntur, non à voluntate Dei, etiam erga reprobos benigna, sed ex pervicaciâ hominum divina beneficia contemnente.

6 Qui voluntatem divinam explicandi modus, etsi quoad rem contrarius non sit communi, meliùs tamen Scholasticorum Principes Angelicus, & Seraphicus cum Damasceno voluntatem Dei, in antecedentem, conditionatam, inefficacem, & consequentem, absolutam, eamque efficacissimam distinguunt. Etsi nempe disjunctiva volitio ratione unius partis efficax appelleretur, non obest tamen, quin erga Judæ in bono perseverantiam, & salutem, complectatur certum divini beneplaciti affectum, inefficacem quidem re-